

lominus tamen merito ab hominibus adoratus fuit. Ita prodit rex in publicum, non ut a subditis honoretur, sed propter alia negotia, recte tamen interim honoratur ab universis.

VIII. Disce conditiones oblationis quæ fit Deo. Nam primo, obtulerunt de rebus suis optimis, de thesauris scilicet, ut aurum et liquores pretiosos. Itaque quæ offeruntur Deo, alicujus pretii esse debent et meliora: *Maledictus qui offert debile*, inquit Malach. cap. I.

Secundo, obtulerunt sincere apertis thesauris suis: non elegerunt clam deteriora. Clodoveus Francorum rex cum Alaricum Visigothorum regem superasset, ac voti solvendi causa equum, cui victor insiderat B. Martino Turonis obtulisset, transegit cum Ecclesia, ut equus, centum aureis redemptus, sibi redderetur. At equus, quasi parvo nimis pretio æstimatum se advertisset, perstitit immobilis nec se reduci passus est, donec duplicatum esset pretium, Gregorius Turon. et ex eo Vincent. lib. XXII. cap. XXIII.

Tertio, obtulerunt de suo: *Apertis thesaurissuis*, juxta id videlicet Proverb. III. *Honora Deum de tua substantia*. Hinc respuit Ecclesia oblationes raptorum, usuriorum manifestorum, eorum qui pauperes opprimunt necnon meretricum publicarum, ne videatur Ecclesia favere istiusmodi peccatis. Cum Phryne meretrix Delphis Venerem auream dicasset, eam videns Diogenes adscripsit elogium: *Ex Græcorum intemperantia*, Laert. lib. VI. Jure igitur Ecclesia respuit oblationes, quæ fiunt a quæstu turpi.

Quarto, obtulerunt cum humilitate et absque pompa, quia prostrati. Ita Constantinus Magnus licet plurimas ecclesias splendidissimas extruxisset, et ingentibus donariis auxisset, nusquam tamen nomen aut insignia sua voluit apponi, Baron. an. 324. simili modo non constat, quis e magis illis obtulerit aurum, quis thus, quis myrrham: quia nullus eorum dono suo nomen aut insignia sua scripsit, quod tamen non communiter fit.

Quinto, obtulerunt una cor suum, quia prius se prostraverunt; Deus enim metitur munera ex corde. Hinc dicitur prius respexisse ad Abel, quam ad munera ejus: *Quia non offerens a muneribus se munera ab offerente placuerunt*, ut ait S. Gregorius, in Reg. Contra Caino ait secundum translationem Hieronymi: *Si recte obtulisti, sed non recte divisisti* (videlicet ad externa oblatione) *peccasti*. S. Hieron. ep. ad Pammachium ait: *Si quæ foris sunt, Deo quæ intus sunt, diabolo demus, non est æqua partitio: et dicitur nobis: Non nisi recte offeras, et non recte divides, peccasti?*

IX. Disce providentiam et sollicitudinem Dei

de servis suis. Monuit enim magos ne redirent ad Herodem. Primo, ne vulpi illi proderent Christum, quem adorarent: secundo, ne ipsi etiam ob adoratum Christum in Herodis indignationem incidere. Dormiebant illi secure, vigilabat vero Herodes, quomodo illos perderet cum Christo: sed vigilabat etiam Deus pro servis suis, et dormientibus viam evadendi monstrabat. Ita olim Moyses populo suo consternato ad conspectum Pharaonis persequentis eum, dixit: *Nolite timere, state et videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie. Egyptios enim quos nunc videtis, nequaquam ultro videbitis usque in sempiternum; Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis*, Exod. XIV. Atque ita factum est, siquidem mare rubrum viam aperuit Israeli, demersit Pharaonem. Itaque confidenter ait David, Ps. XXVI. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, etc.* et S. Aug. in soliloq. c. XV. « In arduis et arctis, inquit, constanter Deo crede eique te totum committe, quantum potes: ita enim ipse te ad se sublevare non desinet nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiam si nescias. » Idque nunc præsertim facit Deus, cum in ejus servitio occupamur, uti in præsentia occupabantur magi. Non patitur Deus ob suam causam quidquam malis nobis contingere: *Cogita tu de me, et ego cogitabo de te*, ait S. Catharinæ Sennensi S. Maclovius, ut scribit Sigebert. Gembl. in ejus vita, Surius, tom. VI. cum aliquando in die paschæ, constitutus in mari, celebrare cuperet, viso colle (ut putabatur) peragendis sacris mysteriis percommo, in illum se contulit cum omni comitatu, et sacris operatus est. Cum autem ad orationem Dominicam pervenisset, totus is locus commotus est. Erat autem certe in dorso pulveribus et herbis enascentibus adeo deformatum, ut collis putaretur. Hoc igitur advertentes, qui aderant, ad navem se recipere celerrime conabantur, quos tamen S. Maclovius manere jussit, contestatus nemini imminere periculum, dum sacra peragerentur. Itaque peractum est sacrificium, hæsitque bellua, donec omnes ad naves suas redirent. Postquam abscesserent, belluam demersam viderunt.

X. Disce Dei consilia nequaquam eludi posse ab astutia humana, sed e contra hanc facillimo negotio ab illis posse. Et quid mirum? Intuebatur Deus cor Pharaonis, furentem bestiam catena ligatam retinebat, et cum volebat, dimittebat. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Sed de hoc dictum in festo Innoc.

XI. Disce per aliam viam redeundum esse illis qui ad eum conversi, ejusque communioni digni

facti sunt. Processus enim magorum modo aliquo similis est processui ad communionem. Illi venerunt de longe; sic peccator de statu peccati, longissime a Deo distante venit: illi vocati sunt a stella; peccator vocatur a gratia excitante ad conversionem: illi ante ingressum in Bethlehem, diverterunt ad sacerdotes Jerosolymæ, ut ab illis dirigerentur ad Christum; peccator introitum in Bethlehem seu domum panis, id est, ante accessum ad eucharistiam divertere debet ad sacerdotem, confitendo peccata sua et petendo ejus directionem: illi prostrati adoraverunt Christum, et obtulerunt ei aurum, thus et myrrham; ita communicaturus primo adoret Christum, deinde offerat aurum, charitatem, cordis devotionem, memoriam passionis ejus, prostratus corpore et animo: illi deinde per aliam viam, hoc est, non per viam quæ ducit ad Herodem, qua venerant, sed per aliam regressi sunt in regionem suam; ita post communionem redeundum ad patriam nostram, unde exidimus, per vitæ mutationem. Hoc olim præcepit Deus Israeliticis, Deut. XVII. *Nequaquam amplius per eandem viam revertamini*, scilicet in Egyptum. Per viam Herodis redeunt, qui ad pristinas peccandi occasiones, et vitæ conversationem redeunt: qui absque dubio ab Herode diabolo intercipientur. Vitentur mundi, carnis, diaboli commercia, tendiculæ, colloquia, etc.

Denique, in his omnibus: « Cave ne Herodi, (inquit, S. Chrysostomus, homil. VII. in Matthæum,) efficiaris similis et dicas: Ut et ego veniens adorem eum; cumque veneris, interimere coneris. Hujus enim similes sunt, qui indigne abutuntur communionem mysterii. » *Reus est enim* (ait Paul. I. Cor. XI.) *iste corporis et sanguinis Domini*, in quem apostoli locum idem Chrysost. ait: « Reus est talis cædis Dominicæ, ac si Dominum occidisset et Christi sanguinem effudisset. » Viderit ergo qui cum peccato, vel sine emendationis proposito, ex mera simulatione, ne videlicet cæteris deterior judicetur, accedit ad mensam Christi, absit ut e tanto communicantium numero vel unicus sit Herodes. Quid enim quæso esset, cum occultato gladio accedere ad Christum eumque interimere velle? Ad Turcarum imperatorem, modo vetitum est cum gladio intrare; sed etiam intraturis legatis manus utrinque tenentur a stipatoribus, ne quid hostile attentare contra principem queant, Aug. Busbeq. legat. Turc. epist. I. Quanto gravius igitur erit accedere ad regem cæli cum gladio peccati? Videt Widekindus dux Saxoniam, adhuc gentilis sub missa in castris Caroli M. communicantes suscipere pulchellum puerulum, et ad alios quidem

venire gestientem ac ludibundum, ad alios vero reponentem et invitum, Albert. Crantz. l. II. Saxon. c. XXIII. et alii. Cogita nunc qua ratione posses gladio perimere istiusmodi infantem.

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELICA

I. Qui et quales hi magi? — II. Cur per stellam vocati? — III. Unde noverunt e stella Christum natum? — IV. Cur diverterunt in Jerusalem? — V. Cur turbatus Herodes? — VI. Quando ad Christum magi pervenerunt? — VII. Cur munera Christo tulerunt? — VIII. Quid significant ea munera?

THEMA.

Ecce magi ab oriente venerunt Jerosolymam.

Matth. II.

Si quod evangelium in anno est, quod attentionem a nobis requirit, hodiernum est. Continet enim primo, gentium stupendam legationem ad præsepe Christi, deinde, primordia religionis nostræ. Itaque S. Matthæus attentos nos facere volens, sic incipit: *Ecce magi, etc.* q. d. ecce rem miram et inusitatam. Gentiles veniunt ad Christum, ecce ab oriente veniunt Jerosolymam: ecce nova et incognita stella duce veniunt: ecce munera ferunt grandium mysteriorum: ecce ante infantem procidunt, et ut Deum illum adorant. Nec minus momenti habet, quod in eo describitur origo stemmatis christiani a regibus exorti. Qui autem est vir nobilis, qui non avidus audiat originem suæ stirpis. Itaque vos Christiani: *Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit (hodie) in admirabile lumen suum*, I. Petr. II. audite et intelligite historiam patrum vestrorum.

I. Qui et quales fuerunt hi magi? Respondetur primo, juxta sententiam probabiliorum non fuisse maleficos, sed viros sapientes, astrologiæ et philosophiæ vacantes moreque philosophico viventes. Tales enim fuisse magos ap. Chaldæos et Persas testatur Hieronymus, Dan. II. Philo, in 1. Quod omnis probus sit liber. Cyprian. etc. Favet evangelium Syriacum, quod *magusim* eos vocat, quod nomen honorificum erat. Accidit quod non videbatur conveniens, ut malefici et præstigiatores, dæmonum mancipia ad præsepe Christi primi adducerentur, sed tales potius, qui juxta naturam præscripta viverent.

Respondetur secundo, fuisse etiam reges seu regulos potius aut toparchas; ita sensit semper

christianus populus et ita eos pinxit; ita etiam communiter patres. Colligitur ex regiis eorum muneribus et thesaurorum apertura, quæ non est vulgarium hominum. Item quia in illis regionibus magi in summo honore erant, et nulli fere reges nisi magi erant. Accedit congruentia ex D. Thom. III. p. q. XXXVI. a. III. quia enim Christus venerat omnes gentes salvas facere, decebat ut natus non vocaret solum ad se pastores, viles, rudes Judæos, prope constitutos, sed etiam magos qui essent reges sapientes, gentiles longe positi, ut ita appareret neminem a Christo excludi.

Respondetur tertio, fuisse Arabes inter sinum Persicum et mare rubrum sitos ex Arabia felice, quæ Saba dicitur vel saltem Chaldæos seu Mesopotamios Persis vicinos. Colligitur ex Psalmo LXXVII. *Reges Arabum et Saba dona adducent*, ut ibi explicat Bellarmin. et Isa. LX. *Omnes de Saba veniunt, aurum et thus deferentes*. (Saba autem eadem est cum Arabia) ut ibi Cornel. a Lapide. Colligitur secundo, ex eo, quod ea potissimum regio sit auri, thuris, myrrhæ, balsami, cinnamomi, etc. feracissima, unde Arabia felix dicta. Tertio, quod inde etiam venerit regina Saba cum muneribus ad Salomonem, veluti figura primæ ex gentibus Ecclesiæ, quæ in magis his ad Christum venit. Quarto, quia ea regio ad orientalem Jerosolymæ plagam sita est, unde venisse dicuntur magi a Matthæo. Denique, quia juxta communem patrum sententiam magi isti, posteri vel successores erant Balaami. Is autem natione quidem Chaldæus seu Mesopotamius fuit, quando autem prophetabat de hac stella, Num. XXIV. fuit in terra Moab, quæ est in Arabia.

Porro in oriente potius seu orientali plaga vocati sunt gentiles ad Christum: quia ibi genus humanum lapsum est et ejectum e paradiso. Unde bene jubentur magi per aliam viam reverti: « Regio quippe nostra, inquit Gregor. hom. X. in evang. paradisi est, ad quam Jesu cognito redire per viam, qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, discessimus, sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. » Sic Gregorius. Secundo, quia inde dicitur nascitur; Christus autem verum attulit mundo diem. Unde Zach. VI. dicitur: *Ecce Oriens nomen ejus*: et Luc. I. *Visitavit nos Oriens ex alto*.

Respondetur quarto, ex recepta sententia fuisse tres. Colligitur ex numero munerum quæ obtulerunt. Beda in collectaneis sic scribit: « Dicitur fuisse Melchior senex et canus, barba prolixa et capillis: aurum obtulit Regi Domino. Secundus,

nomine Gaspar, juvenis imberbis, rubicundus: thure quasi Deo oblatione digna Deum honorabat. Tertius fuscus, integre barbatus, Balthasar nomine, per myrrham Filium hominis mortuorum professus est. » Sic ille. Ternarius vero hic tres orbis patres seu universitatem humani generis, quod per tres filios Noe propagatum est, significat ad Christum adducendam, vel etiam fidem SS. Trinitatis.

II. Cur per stellam indicem sunt vocati magi? Respond. primo, quia astrologi erant; ideo familiari sibi et amabili signo vocati sunt. Cum bovem ad te allieis, fœnum, non carnem ei porrigis: cum canem vocas, carnem, non fœnum ostentas. Condescendens itaque Dominus magorum salutis, per id vocabat eos quod maxime delectabat. Secundo, pastores Judæi vocati sunt per angelum, qua Judæi acceperunt: *legem in dispositione angelorum*, Act. VII. et ad Gal. V. et habebant legem scriptam: gentiles vero habebant tantum naturalem et per creaturas solum visibiles, *invisibilia Dei cognoscere poterant*, ad Rom. I. idcirco vocati sunt per stellam et cœlestem indicium: cœli autem maxime enarrant gloriam Dei. Illi per creaturam rationalem; velut rationales: hi per elementum tantum, quod ratione uti nescirent, ut vult S. Gregor. hom. X. in evang. Tertio, ut indicaretur multiplicatio fidelium seu spiritualium filiorum Abraham, quæ ei promissa fuit, Gen. XV. *Suspice cœlum, et numera stellas si potes, sic erit semen tuum*: et Gen. XXII. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli*. Nuntiat ergo hæc stella, Christianos et innumeros et spirituales ac cœlestis conversationis futuros.

III. Unde agnoverunt stellam hanc esse indicem Christi nati? Respondetur imprimis potuisse eos habere oracula Sybillina, quæ Christum nasciturum prædicebant. Deinde, percerebatur etiam fama per orientem, teste Suetonio in Vespasiano, nasciturum in Judæa regem, qui rerum potiretur. Ad hæc cum posteri vel successores essent Balaami, prophetiam ejus de Christo et hac stella noverant, Num. XXIV. *Orietur stella ex Jacob, etc.* eamque videntur insinuare cum dicunt: *Vidimus stellam ejus, q. d. indicem ejus expectatam*. Ex quibus saltem cognoscere poterant magni regis ortum. Quis tamen et ubi ille esset, didicerunt absque dubio ex peculiari revelatione, et interno lumine. Quomodo enim absque hoc ad iter se accingere, Christum invenire, et pro Deo agnoscere ac venerari potuissent? Imo quomodo ibi regem alium inquirere, ubi aliqui jam regnare ausi fuissent?

IV. Cur diverterunt in Jerusalem? Respondetur primo, ut in urbe fierent certi etiam de propheta

adeoque in fide et itinere suo prosequendo confirmarentur testimonio Judæorum.

Secundo, ut etiam Judæi stellæ miraculo excitarentur ad credendum Messie adventum eumque inquirendum, vel si id facere nollet, confunderentur. Unde patet in primis magnanimitas magorum, qui in alieno regno regem alium inquirere non dubitarunt, id quod periculo plenum erat. Patet etiam stoliditas et ignavia Judæorum qui aliis ejus fabricarunt, ipsi vero non ingressi sunt, nec aliam sibi fecerunt.

V. Cur turbatus est Herodes nuntio magorum? Respondetur primo, quia timebat ereptum sibi iri regnum vel saltem filii suis: nemo enim facile fert regem alium in regno suo. Unde Alexander Magnus ad Darium ait: Neque cœlum duos soles, neque terram duos reges ferre posse. Sed frustra times Herodes. « Dominus mundi, inquit S. Leo, serm. in epiph. temporale non quærit regnum qui præstat æternum: » et iterum, serm. IV. epiph. « Non capit Christum regia tua, nec mundi Dominus potestatis tuæ sceptri est contentus angustiis: » et Sanctus Fulgentius: « Quid turbaris Herodes? Rex iste qui natus est, non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare: nec ideo natus est ut tibi succedat, sed ut eum mundus fideliter credat; venit, non ut pugnet vivus, sed ut triumphet occisus. » Sic ille.

Secundo, quia advertit Christi nati cœlestem dignitatem. Unde S. Gregor. in hom. X. ait: « Cœli rege nato, rex terræ turbatus est: nimirum terrena altitudo confunditur cum celsitudo cœlestis aperitur. » Sic stellæ occultant sua lumina adventante sole: sic animalia quamvis efferata trement et turbantur præsentate et rugiente leone. Unde Amos III. dicitur: *Leo rugiet, quis non timebit?* atqui Christus leo ille de tribu Juda erat: porro si turbatus est Herodes ob majestatem Christi nati jacentis in cunabulis, quantum in judicio turbabuntur mali ex aspectu et præsentia judicis? *Quid erit tribunal judicantis*, inquit Augustin. *quando superbos reges cunaterræbat infantis?* serm. XXX. de temp.

Tertio, quia vidit reges illos gentiles venire a longinquo ad adorandum Christum, se vero Judæum vicinissimum in suo regno natum nec scivisse nec adorasse. Hoc arbitror mire confundebat Herodem. In hunc modum quomodo non confundantur Christiani, si vident fieri ab ethnicis opera bona, quæ non faciunt ipsi? Sic confunduntur aut certe confundi debent, qui cum non habeant impedimenta, non frequentant templum, confessionem, communionem, interim vident frequentes ad hæc mechanicos et rusticos. Sic con-

funduntur superiores, cum vident subditos suos magis pios et devotos, quam sunt ipsi.

Quarto, quia ut ait S. Leo: *Non tantum Herodes in semetipso turbabatur, quantum diabolus in Herode*. Timebat enim diabolus dejiciendum se ab imperio suo.

VI. Quando ad Christum magi pervenerunt? Respondetur pervenisse infra tredecim dies, adeoque decimo tertio a nativitate Christi die, quo et celebratur hoc festum; ita cum Ammonio Alexandrino in Harmon. Ecclesia sentit. Sed quomodo tam paucis diebus eo pervenire potuerunt? Respondetur Arabiam felicem, unde eos venisse diximus, distare a Bethlehem ad summum 300. leucis minoribus, quarum una est trium milliarium Italicorum, quæ faciunt milliaria Italica 600. Germanica vero 180. Jam ergo si computemus pro singulis diebus iter 18. milliarium Germanicorum, potuerunt eo venire die duodecimo. Sed, quis inquires, 18. milliaria conficiet uno die? Respondeo Isaiam prædixisse, c. XVI. venturos cum dromedariis, quorum ea regio fertilis est. Hi autem, Hieronymo teste, tantum itineris conficiunt uno die, quantum equi nostri in tribus. Quod si ex Perside, ut aliqui patres volunt, venissent, potuissent intra tredecim dies ad terminum venire. Cum enim ex Perside usque Hierosolymam sunt quadraginta dies itineris secundum Hieronymum, consequenter potuerunt id conficere intra tredecim dies. Cæterum si remotiores alii interfuisse huic legationi traduntur, veluti Calecutii aut Abyssiniorum rex, dicendum fuisse eos per id tempus in Arabia adeoque in comitatu magorum nostrorum.

VII. Cur munera Christo tulerunt? Respondetur veterem consuetudinem fuisse, ut nemo intraret ad regem absque munere: in Persia, apud Cœl. Rhodigium, l. XIII. c. XVI. in Parthia, apud Senecam, epist. XVII. in Arabia; inde enim veniens regina Saba tulit munera Salomoni, III. Reg. X. in Chanaan, Gen. XLIII. unde Jacob misit munera Joseph in Ægyptum: in Judæa; idcirco enim vocantur filii Belial, id est, absque jugo seu exleges, qui non attulerunt Saulo noviter in regem electo munera, I. Reg. X. Unde patet hæreticos, qui sacrificium missæ sustulerunt, filios Belial esse, siquidem nullum prorsus Deo offerunt munus aut sacrificium.

VIII. Quid sibi volunt illa munera, aurum, thus et myrrha? Respondetur primo, ostendere id quod credebant magi. Crediderunt Christum esse regem, et ut tali attulerunt aurum: crediderunt esse Deum et ut tali attulerunt thus quod Deo solet incendi: crediderunt esse hominem, et ut tali obtulerunt myrrham, qua corpora mortuorum

condiuntur hominum. Totum hoc verbis illis expresserunt: *Ubi est qui natus est rex? Venimus adorare eum.* Dum dicunt natum, agnoscunt hominum: dum volunt adorare, agnoscunt Deum: regem denique expresse vocant. Unde S. Gregor, homil. X. ait: « Eum, quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant, auro regem, thure Deum, myrrha mortalem. »

Secundo, S. Bern. in soliloq. ait, forte aurum ob Christi paupertatem; myrrhæ unguentum, ob infantilis corporis teneritudinem: thuris odorem, ob sordidam stabuli mansionem obtulisse. Utinam et nos similibus muneribus miseriam Christi nunc sublevaremus fetorem thure orationis; teneritudinem infantilem mortificatione carnis et membrorum nostrorum; paupertatem eleemosyna.

Denique, obtulerunt id quo ipsi in sua regione abundabant. Similiter. *Da Deo, quod habes, da quod es,* ait quidam pater: præbe illi cor tuum per veram penitentiam: da ea, quibus abundas scilicet peccata tua per penitentiam: denique, da saltem quod ei debes. Quid autem debes? Nonne saltem modestiam in exter-

na conversatione hoc potissimum tempore? Nonne dies iste Domini est? Nonne ad obsequium ejus impendendus? Ad quid ergo profana illa lætitia, commensationes, ludi et ludicræ aliæ ineptiæ? Itane vero honoramus Christum in cunis vagientem? An nescimus illud: *Musica in luctu importuna narratio,* et illud Bernardi: *Adhucne ludam et lacrymas Christi deludam?* Quid ait Ecclesiasticus, c. XXXIV. *Unus ædificans et unus destruens, quid prodest illis nisi labor?* *Unus orans et unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus?* An non jure filii Belial vocabantur, qui ea, quibus abundant, peccata sua gravia hoc tempore per confessionem Christo non obtulerunt? Annon et illi, qui etiam, quod ei debent, subtrahunt? Multi ita abundant peccatis per annum perpetratis, ut dromedarios aliquot onerare possent, et tamen illi non sentiunt hoc onus, nec confitentur hoc tempore, differunt ad pascha. O filii Belial! Mystice Deo offerimus thus, myrrham, aurum: quando offerimus ei animam per orationem, corpus per jejunium seu afflictiones corporales et mortificationem, bona externa per eleemosynam.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUANTA VENERATIONE ET GAUDIO EXCIPIENDA
SIT HODIERNUS DIES.

Magna hodierni diei solemnitas. — I. Quia hodie e tenebris in lucem educti sumus. — II. Quia hodie excisa vitiorum silva. — III. Quia etiam Dei nostri potentiam et benignitatem hodie agnovimus. — IV. Quia hodie filii dexteræ facti sumus, qui eramus filii sinistræ. — V. Quia hodie exaltati sumus ad Dei aulam.

THEMA.

Videntes autem stellam, gavisus sunt gaudio magno valde. Matth. II.

Tam sancta et festiva est hodierna dies nobis Christianis, qui ex gentilitatis tenebris ad lucem Christi educti sumus, ut etiam reges et imperatores, licet alioquin improbi in veneratione habuerint, uti Julianus apostata et Valens imp. E quibus Valens, visa majestate officii divini et S. Basilii celebrantis in hodierno festo, rei novitate attonitus, et in vertiginem actus, vacillare cœpit jamjam in terram prolapsurus, nisi sus-

tentatus fuisset, ut S. Greg. Naz. in orat. de laud. Basilii refert. Certe Ecclesia catholica hodie officium suum mutat contra ordinarium totius anni cursum, et decursis prius duobus nocturnis, tum demum se ad pedes Christi, et septies quidem, prosternit dicens: *Venite adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster.* Forsitan ut indicet longum illud iter trium regum susceptum et peractum, priusquam ad Christum adorandum pervenirent. Septies adorant, ut indicet regem nostrum Christum satis adorari non posse, et per omnem æternitatem nobis adorandum. Sed quæ causa, dicet aliquis, tantæ solemnitatis? Audiamus.

I. Quia hodie e densissimis idololatriæ tenebris eruti, in lucem evangelii et cognitionis veri Dei deducti sumus, simulque e tenebris gehennæ exterioribus, quæ tenebras illas interiores consequuntur, erepti. Legimus, Exod. X. *Ægyptios, inter alias plagas, tenebris tam densis, ut palpari possent, fuisse punitos; unde nemo se movere audebat.* Significabant illæ tenebræ cæcitatem tum aliorum gentilium, tum maxime *Ægyptiorum,* qui præ cæteris gentilibus innumera et

stultissima idola colebant. Erat illa tam densa, ut plane palpari posset. Quid enim stultius, quam adorare ligna et lapides, vitulos, canes, simias, crocodilos, serpentes, allia, cæpe et similia? Item homines spurcos homicidas, fures, mæchos referre et colere inter numina? Et tamen miseri illi, quia veri Dei cognitionem perdiderant, in has tenebras devoluti erant. Quidquid enim ipsi magnum aliquod beneficium præstiterat, id pro Deo habere cœperunt; veluti in primis aliquos potentes, qui armis gentes aliquas domuerant; robustos viribus præ cæteris aut versutia insignes; rursus eos, qui artes aliquas utiles etiam mechanicas et rurales, uti vineæ agrique culturam excogitarunt. Ad hæc *Ægyptii* bestias, a quibus magna commoda accipere solebant, uti bovem rura colentem, aquam Nili agros *Ægyptios* irrigantem, etc. Etsi fuere aliqui sapientiores, qui solo naturæ lumine, tenebras has palparunt, et stultitiam tot ac talium deorum improbarunt ac riserunt; uti Socrates, Plato, Cicero, Seneca, Aristoteles: ab iis tamen se expedire non valuerunt. Sicut enim *Ægyptiis* tenebris nemo se loco movit, ob formidinem, Exod. X. (Unde Sap. XVII. et XVIII. dicuntur quasi catenis alligati fuisse, et miserabiles edidisse voces, ad Hebræos), sic gentiles quasi vincti in cæcitate sua fuerunt: uti satis fatentur Macedones, (quorum nomine unum apparuit Paulo in somnis deprecans: *Transiens in Macedoniam adjuva nos,* Act. XVI.) miserabili voce Pauli opem invocantes, quasi dicant: O Paule, nos vincti in his tenebris venire ad te non possumus; precamur igitur ut transeas ad nos et juves nos.

Jam modus quo colebant deos suos erat miserabilis simul et stultissimus, non modo per victimas pecorum, quod Romanis et aliis cultioribus usitatum, sed plerumque per cruorem humanum, et charissimorum pignorum, lectissimorum adolescentum et adolescentularum, advenarum, civium, hostium. Parentes ipsi immolabant filios, uti Saturno Phœnices, Carthaginienses, Rhodii, Cretenses (unde signum de Saturno liberos vorantes); alii idolo Moloch per combustionem, uti Ammonitæ; alii, ubi hostia deficiebat, seipsos mactabant. Addebant libidines intolerabiles, promiscuas, ac præposteratas. Germani ethnici cruore humano Mercurio immolare, religiosissimum putabant, teste Alex. Taceo ignorantiam rerum omnium divinarum et humanarum de altera vita, de immortalitate, de præceptis divinis, de virtutibus.

Hæc de causa utique Christus media nocte natus est, ut ostenderet se venisse ad ignorantiam tenebras sua luce discutendas, quod et typice

mox exhibuit pastoribus, cum Dei claritas mediis in tenebris eos circumfulsit, et cum stella magos duxit ad præsepe, natam orbi lucem nuntians. Id quod recens a se conversis sæpe inculcat S. Paulus, uti Ephesiis, cap. V. *Eratis aliquando tenebræ,* (hoc est, tam tenebrosi, atque ipsæ tenebræ sunt) *nunc autem lux in Domino.* Agnovit hoc inter alios Widekindus dux Saxonie, bello victus a Carolo M. qui ubi ad fidem conversus fuit, equum nigrum, quem habuit in insignibus, mutavit in album, ut testaretur se a tenebris tractum esse ad lucem (ut habet chronicon Saxon.); imo et e filio tenebrarum infernalium factum filium lucis æternæ. Nos ergo quia invenimus verum Deum per internuntios tres reges, ideo Ecclesia hodie venerabunda cum iis procedens canit: *Venite adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster.*

II. Quia hodie cœpit excindi vastissima ferarum et latronum silva, omnis generis vitii et sceleribus, quasi immanibus bestiis, repleta sub gentilismo, ubi homines ferarum instar vivebant sine lege et sine Deo: ubi fortior debiliore, major devorabat minorem. Unde nulla pene juris habita ratione, prædas agebant et latrocinia nefanda; cum matribus, filiabus, sororibus jungebant matrimonia; senes canibus devorandos dabant, aut jugulatos ipsi devorabant; furta impune ferebant, uti inter alios Germani nostri etiam conjuges suas et filias (uti Madianitæ. Exod. XXV.) hospitibus prostitutebant: in defunctorum maritorum rogos se uxores quoque conjiciebant, vel mancipia cum illis comburebant; feminas passim et pueros turpi quæstui exponebant; captivos vanales proponebant, ac canum instar habebant; humanis aliqui carnibus vesciebantur; spectacula gladiatorum, nudorum quoque puerorum ac puellarum edebant; Germani inter alios diem noctemque potando, vitam bella inferendo, ducebant. Taceo augurum et Pythonum (cujusmodi puella refertur Act. XVI.) delusiones, dæmonum infinita ludibria, ut vere mundus nil aliud nisi vastissimum ferarum stabulum, aut solitudo sterilissima videretur, de qua proinde dixit Isaias, c. XLI. *Ponam desertum in stagnum aquarum, et terram inviam in rivum aquarum. Dabo in solitudinem cedrum et spinam,* (Hebr. setim, arborem et odoriferam, quæ nitore et robore omnes arbores superat) *et myrtum et lignum olivæ, etc.* Id quod impletum in lege nova ait S. Gregorius, homilia XX. in evang. quando loco improborum illorum hominum, qui sub gentilismo fuerunt, plantavit Deus in Ecclesia viros sanctos, omni virtutum genere conspicuos; martyres, episcopos, abbates, monachos, eremitas,